

Nf 21
Nf 21



6

PRORECTOR
ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ,
**GEORGIUS ERNE-
STUS STAHL,**

MED. D. EJUSDEMQUE & RERUM NATURALIUM PROF.
PUBL. ORDIN. atque ACAD. NAT. CUR. COLLEGA,

unacum

**PROFESSORIBUS RELIQUIS
CIVES ACADEMICOS**

ad

*Ferias , resurgentis Christi memoriae
sacras ,*

pie celebrandas
hortatur atque invitat.

HALLÆ MAGDEBURGICÆ
Typis Joannis Gruneri, Acad. Typogr.

f. 6.

PROFESSOR
ACADEMIAE P. H. W. L. C. I. A. N. A. E.
GEORGIVS ERNE-
STVS STAHL
MED. D. P. H. U. S. I. D. M. O. V. E. & P. R. I. N. C. I. P. I. U. M. P. R. O. F.
P. U. B. L. I. C. I. A. C. A. D. N. A. T. C. U. R. C. O. L. L. E. G. I.
P. R. O. F. E. S. S. O. R. I. B. U. S. R. I. L. I. G. I. U. S.
C. I. V. E. S. A. C. A. D. E. M. I. C. O. S.

Trinitas, resurgens Christi memoria
Johannes
die celebranda
horarum ante iustitiam





* * *



Ravissimum est illud gentium doctoris, Pauli, monitum, quo sanctam nobis & perennem Christi resuscitati memoriam commendat, quando filio suo *γνωσία καὶ ἀγαπητῶ*, Timotheo, Epist. 2. Cap. II. v. 8. novum calcar, etsi iam currenti, additurus: *μνημόνεος*, inquit, *Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐγνηγερμένον ἐκ νεκρῶν*, *recordare Iesum Christum, suscitatum e mortuis*. Tria vero precipua sunt momenta, pia recordatione, circa Christi in vitam reditum, probe recolenda, nimirum eius **VERITAS, QVALITAS & FRUCTVS**. De **VERITATE** eius immota, cuicumque fluctuationi sceptica opposita, hac ipsa scribendi occasione actum est anno superiori. Considerabimus nunc **QVALITATEM**, & quidem, pro instituti nostri ratione, quam brevissime. Secundum hanc Christi in vitam reditus est

I. *Ἀυτοκρατορικὸς*, divina ipsius resurgentis Christi virtute effectus. Nec obstat, quod a Patre, seu gloriosa Patris potentia, suscitatus dicitur, præcipue Rom. VI, 4. Hoc

Hoc enim uti humanæ eius naturæ competit, sic divinæ erat, sua ipsius virtute in vitam redire. Et pro hac, nec appellatus ab alio, ut filius viduæ in Nain; nec manu comprehensus, ut filia Iairi; nec e sepulcro evocatus, ut Lazarus, semet ipsum suscitavit e mortuis; quemadmodum prædixerat Ioh. II, 19. *Solvite, inquit, templum hoc, (mei corporis v. 21.) & in tribus diebus ἐγερῶ, excitabo illud (per gloriosum in vitam reditum v. 22.)* Item Ioh. X, 17. 18. *Pono animam (seu vitam) meam, ut eam (resurgendo) resumam.* Item: *nemo (me invito) tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso (sponte mea moriturus:) potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Unde quando τὸ ἐγερῶ in sacris de Christo dicitur, recte vertitur per *resurrexit*, nimirum virtute divina propria; quam cum Filius cum Patre, ob ταυτοσίαν, habeat communem, eius operatio hic etiam non sine emphasi Patri tribuitur, ut per Christum præstiti, & a Patre accepti, Iytri pondus atque effectus significetur. Nam satisfactum esse iustitiæ divinæ per Christi mortem, ipse Pater certissimo testatus est pignore, ubi sponforem nostrum e potestate mortis, tanquam e carcere, dimisit. Et ipse Christus, vita & lux mundi, spiritualem mundo vitam allaturus, per eandem divinam virtutem in vitam rediit, hoc ipso *declaratus Filius Dei* ἐν δυνάμει Rom. I, 4.

Quamobrem recte B. BERNHARDUS ferm. de Resurrectione: *Quis in omnibus creaturis suscitavit aliquando se ipsum? ineffabile hoc est, ut a morte se excitet ipse, qui dormit: singulare est, non est qui faciat, non est usque ad unum. Hæc scilicet Propheta (virtute non sua, sed Dei) mortuum suscitavit, sed alterum, non seipsum. Ecce enim quot annis jacet in monumento, quod a se non potest, sperans ab alio suscitari, ab eo utique, qui triumphavit mortis imperium in seipso. Inde est, quod ceteros quidem dicimus suscitatos, sed Christum resurrexisse, qui solus virtute propria*

pria victor prodit de sepulcro. Quod si Christi *ἀνάστασις* ratione qualitatis porro consideremus, eius modus deprehenditur esse

II. *Θαυματοργικός*, miraculis illustris, & quidem duobus, *sepulcri penetratione* & *terra motu*. Omnem sepulcri aditum quam studiosissime fuisse oclusum, notum est ex iis, quæ sub historia de cruce Christi finem Matth. XXVII, v. 62. seqq. leguntur. Nec enim solum sepulcri ostium lapide ingenti, sed etiam ipsum saxum solenni obsecratione, erat præclusum, totumque monumentum armato milite circumseptum. Hic, ubi naturæ ac humanæ rationi nec introitus, nec exitus, patuitullus, Christus, naturæ totius Dominus, verissime penetravit. Et quidni? Etenim qui sua virtute, ordinarias naturæ vires ac leges infinitis modis superante, potuit mortis quasi vincula perrumpere, seu post mortem veram vere reviviscere; cur iste ad resurgendum eguerit opera Angeli, seu per hunc perficienda monumenti apertura? Item, qui, clausis foribus, intravit ad congregatos discipulos post resurrectionem; quomodo hunc resurgentem sepulcri claustra potuerint, aut debuerint, remorari? Neque huic sententiæ de exitu Christi *ὑπερφυσικῶ* obstat mentio saxi, ab Angelo devoluti; siquidem hæc devolutio, venerandæ antiquitatis consensu, non facta est propter Christum, ad huius resurrectionem promovendam, sed propter mulieres Christique discipulos, ad *ἀνάστασις* iam factam manifestandam. Qua de re bene JUSTINUS q. 117. ad Orthodoxos: *Quemadmodum non mutatione corporis in spiritum Dominus super mari deambulavit, sed divina potentia sua mare, quod pedibus calcari haud poterat, ad inambulandum commodum & pervium reddidit: Ita & suapte potentia e monumento, cui lapis impositus fuit, egressus est, & ad discipulos ingressus, ianua clausa. Non enim excita-*

tionis eius gratia saxi de monumento ipsius facta est devo-
lutio, sed eorum causa, qui id conspecturi erant, ut ipsis
resurrectio ostenderetur. Conf. GREG. NYSSENUS orat.
2. de resurrect. CHRYSOSTOM. Hom. XC. in Matth.
AMBROSIUS in cap. XXIV. Luc. AUGUSTINUS de temp.
ferm. 12. de agon. Christi c. 24. Alterum, quod resurre-
ctionem Christi nobilitavit, miraculum fuit *terra motus*,
atque is non solum citra causas motuum consuetas factus,
sed etiam, teste MATTHÆO, ingens & valde notabilis,
σεισμός μέγας, qualis etiam ille fuerat, qui tertio ante die,
Christi mortem omnibus reddiderat stupendam. Quo
miraculo quin Deus testari voluerit, se hoc tempore ope-
ra quam maxime admiranda facere, nullum est dubium.
Neque signo hoc rei, eodem exprimendæ, aliud optari
poterat convenientius. Etenim moto apertoque per
Christum *caelo*, unde etiam Angelorum descensus paruit,
nihil restabat, nisi ut *terra* moveretur, h. e. ut saxea mor-
taliū pectora, *τὰ ἐπὶ τῆς γῆς φρονήσα*, tantum, quæ ter-
ræ sunt, curantia, mortis ac resurrectionis Christi virtute
mota ac patefacta, ad spem vivam vitæ æternæ, post futu-
rum universalem in copora reditum adeundæ, erigerentur.
Unde evenit, ut, ubicunque Apostoli Evangelium de
Christo, ex piaculari morte redivo, prædicarunt, extite-
rit *σεισμός μέγας*, magna, eaque salutifera, animarum com-
motio: quemadmodum inter alia egregia illæ Petrinæ
concionis primitiæ, de quibus Act. II. videas, testantur.
Quemadmodum vero ex hæcenus dictis liquet, resurrectio
Christi fuit

III. *ἑπένδοξος*, summe gloriosa, resurgentis gloria
glorioso Angelorum splendescentium habitu & aspectu
notata, & præcipue in ipsius Christi corpore conspicua. Nam
hoc, omni infirmitate penitus exuta ac deposita, spiritualibus
eluxit dotibus, iisque summis & perfectissimis; speciatim
subti-

subtilitate, qua poterat clausum sepulcrum, clausasque con-
 clavis fores, penetrare, ac modo esse circa sepulcrum, mo-
 do in medio discipulorum, modo viatoribus Emmaunicis
 ex improvise se associare, aliisque in locis, ubicunque
 vellet, sese conspiciendum dare, aut se rursus conspectui
 subtrahere; *claritate*, facile colligenda vel ex transforma-
 tione, gloriae, post resurrectionem futurae, nuncia, ante
 mortem in monte facta, & iam tum tanta, ut, Matthaeo
 c. XVII. 1. seq. perhibente, *facies eius splenderet sicut sol, ac ve-*
stimenta eius nivis instar candescerent; porro *immortalitate*,
 omnis corruptionis experte; siquidem *Christus ex mortuis*
resuscitatus non amplius moritur Rom. VI, 9. sed, *semel in vi-*
ta in redemptus factus, vivit in secula seculorum Apoc. I, 18. ut-
 pote ipse *vita, vitaeque spiritualis & aeternae auctor atque*
princeps, Act. III, 15. 2. Tim. I, 10. Surrexit ergo Christus
 summa cum gloria corporis; quod ideo Paulus Phil. III, 21.
 non immerito vocat *σωμα δόξης*, Luth. *verklärten Leib*.
 Dicitur quidem Christus redivivus comedis & bibis cum
 Apostolis Luc. XXIV, 43. Ioh. XXI, 15. Act. X, 41. quod
 indigentiae & corruptionis signum videri posset; Sed iste ci-
 bi potusque usus non fuit necessitatis, sed libertatis, non in-
 digentiae, sed potentiae, documentum, quo resurrectionis
 suique corporis veritatem discipulis confirmavit. *Mandu-*
cavit (verba sunt BEDÆ Comment. in Luc. XXIV.) *non ne-*
cessitate, sed libera voluntate: aliter autem absorbet terra
aquam, aliter sol: sol potestate, terra necessitate, quia arida
est. Item THEOPHYLACTVS in h. l. *Manducavit Domi-*
minus non ex natura necessitate, sed ex libera aeternitate, per
quamdam συγκατάθεσιν ad demonstrandam resurrectionis
veritatem.

Hæc hæctenus de resurrectionis Christi *qualitate* ἀπο-
 κριτικῆ, θαυματουργικῆ καὶ ὑπερνοδοῦ. Restaret nunc, ut de
 momento huius doctrinae tertio, quod in resurrectionis *sine*
& fru-

& *fructibus* consistit, ageremus; sed instituti nostri, quod brevitate commendat, ratione habita, hanc tractationem alii occasione reservamus, interea probe memores, non defore hisce diebus festis campum de resurrectionis fructibus pie meditando amplissimum, viva tot præconum voce exhibendum. Sed hæc meditatio ut ipsius rei maiestati conveniat, necesse est. Conveniet vero, si *sancta* fuerit atque *practica*; sancta, quæ doceat in & de Christo redivivo cogitare cum fide, timore ac reverentia; & sic simul est *practica*, quæ, divina virtute, ex Iesu Christi plenitudine hausta, animum reddat omnibus, quæ in terra mortalia caducaque sunt, superiorem, ac victorem perpetuum. Et eiusmodi recordationem de Christo, e mortuis suscitato, nobis omnibus, & Vobis, o *Nostri Cives*, commendat Paulus egregio illo, cuius sub initium mentionem fecimus, monito, quando ait: *μνησθευς, recordare Iesum Christum, suscitatum e mortuis. Ubi merito notandum illud sacræ exegeleos axioma, quod verba memoria & notitia in sacris intelligenda sint cum affectu & effectu.* Quam significationis *δείνωσι* præcipue huic voci, qua perpetuo virens Christi memoria exigitur, inesse, præter rem ipsam, & scriptionis Apostolicæ scopum, vel sola Timothei, ad quem speciatim hæc parænesis directa erat, indoles ostendit; utpote quæ Christo erat, uti confirmata, sic etiam sancto cum cultu affectuque deditissima. Qui scholæ Apostolicæ discipulus genuinus, Timotheus, ut etiam in *Vobis*, nostris omnium ordinum auditoribus, præcipue in iis, qui aliquando idonei & publici mortis ac resurrectionis Christi testes atque præcones futuri estis, plurimos habeat aut inveniatur *ισοψύχως*, vera disciplina nostræ pignora atque ornamenta, ex animo precamur & exoptamus. P. P. in Alma Fridericiana A. D. M. DCCXI. ipsi feriis, anniversariæ resuscitati Christi memoriam sacræ.

Ja 3070 ✓

(1)
Nur für den Lesesaal!

ULB Halle

3

001 874 462



sb


VD 78

WOM



mt.







6

PRORECTOR
ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ,
**GEORGIUS ERNE-
STUS STAHL,**

MED. D. EJUSDEMQUE & RERUM NATURALIUM PROF.
PUBL. ORDIN. atque ACAD. NAT. CUR. COLLEGA,

una cum

PROFESSORIBUS RELIQUIS
CIVES ACADEMICOS

ad

*Ferias, resurgentis Christi memoriae
sacras,*

pie celebrandas

hortatur atque invitat.

HALLÆ MAGDEBURGICÆ
Typis Joannis Gruneri, Acad. Typogr.

f. 6.

